



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119193

§. 82. Epistola Pastoralis Episcopi Monasteriensis ad Clerum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67332)

nonicus Pœnitentiarius, si Episcopo Sæc. XVII.
 sic videbitur, possit eligi in Confessa- A. C. 1666.
 rium Monialium, dummodo valeat
 utrique muneri satisfacere, ac denique
 S. Rituum Congregatio die decima
 octava ejusdem Mensis decrevit, quod
 si simul transferenda sint festa S. Marci
 Evangelistæ, & SS. Apostolorum Phi-
 lippi & Jacobi, prius reponatur festum
 S. Marci, dein alterum SS. Aposto-
 lorum.

§. LXXXII.

*Epistola Pastoralis Episcopi Mona-
steriensis ad Clerum.*

Rursus Christophorus Bernardus de
 Gallen Monasteriensis Episcopus
 juxta Synodorum veterum legem, qua
 Diæcesana Synodus bis quotannis ha-
 beretur, Diæcesanam Synodum cele-
 brare præpeditus, saltem epistolam
 Pastoralem ad suum Clerum transmisit,
 ac quidem hoc anno die tertia Aprilis
 præter innovata priorum Synodorum
 statuta præcepit, ut Clerici cunctas
 suspectas mulieres e domibus suis, imo
 etiam civitatibus & pagis excludant,
 ut nihil finistri de iisdem suspicari li-
 ceat: denuo etiam eos hortabatur, ne
 conspirationes inter se invicem, minus
 vero contra Prælatos & Superiores
 suos

Sæc. XVII. suos conflent: Monuit etiam Clericos, A. C. 1666. ut in testamentis condendis ea bona, quæ potissimum ex Dei cultu, Ecclesiæ proventibus, & pauperum eleemosynis receperunt, denuo ex testamenti dispositione, majore saltem ex parte ad eosdem revolvant.

Indixit quidem idem Episcopus Synodum Diæcesanam ad feriam tertiam post Festum S. Gereonis, cui tamen ipse aliis distentus negotiis non interfuit, omnia vero, quæ in prioribus sancita fuere, confirmari curavit.

§. LXXXIII.

Catholici in Transylvania oppressi.

Sub idem tempus Sophia Georgii Ragotsii II. Transylvaniæ Principis defuncti Vidua Conjux e Calvinæ caligine in lucem Catholicæ veritatis traducebatur, ringentibus hæreticis Hungaricis qui non modo præfatum Georgium Principem ante obitum suum, sed et super ejusdem Filios ejurata secta cum Ecclesia Romana conjunxisse indignabantur: Acrius adhuc eos pupugit Carmen Epithalamicum in gentilitiam Principis Ragotsii gladiatam in hereses aquilam, quod Joannis Antonii Serinii Moderator typis ediderat eo tempore, quo Franciscus Ragotsius Petrus